



1
7
96









C. VALERII ACCINCTI
AD
P. FRANCII
EPISTOLAM PRIMAM
RESPONSIO,

In qua Origo & Historia Inimicitiæ & hujus Jurgii verius enarratur, nullam Francio datam famosa Epigrammata condendi causam demonstratur, de Actione Oratorum uberius agitur, denique nova Barbariei exempla contra Conjugationes & Syntaxin Linguæ Latinæ ex illa Epistola proferuntur.



LUGDUNI in BATAVIS,
Apud FREDERICUM HARINGIUM,
M. DC. XCVI.



Eruditis & Aequis Lectoribus

S. P. D.

C. VALERIUS ACCINCTUS.



QUam minabatur Francius nuper *Jamborum Rabiem*, erupit illa in *Rabiosam* plane *Epistolam*; quam qui legat, putet effusam, non ab Homine, mentis compote, aut atra tantum bili percito, sed prorsus larvarum pleno, quem Furiæ agitent, intemperiæ teneant, qui cum Bacchis egerit Bacchanal, nec quidquam bonæ mentis sibi fecerit reliquum. Ita nihil ille videt, nihil sentit, nihil intelligit, quid dicat, vera, an falsa, sibi congrua, an contraria, utilia, an adversa: omnia susque deque habet, modo probra & convicia evomat merum spirantia virus, & cerritam plane insaniam; idque in Lite, cujus ipse est Auctor, & inceptor manifestarius suâ illâ Carminum maledicentiâ, qua & alios sæpius, & nuper Me, quasi per ludum jocumque sibi solitum, incessit & læsit prior. Et tamen hic Homo impensum Pacis & quietis studium Reip. imputat Literariæ, nec se unquam in hujusmodi palæstram penetrasse ostentat. Si ita; pulcherrimo sane experimento jam nunc imbuit insuitatæ sibi artis ti-

 roci-

rocinium, & spes est, si advigilaverit atque annitatur porro, evasurum brevi Præstantissimum omnium Athletam, ad cujus peritiam & fortitudinem Crotoniates ille Milo si comparetur, fugiat manibus demissis domum. Nec tamen dubito, quin vere dixerit, nunquam se in hujusmodi certamen descendisse: at non tam *Pacis* id studium, quam odium fuit laboris. *Pacem* enim cum aliis coluit, qualem nuperrime Gallorum Rex, qui dum Pacem itidem lingua ubique terrarum habebat promptissimam, manibus interim viscatis armatisve rapiebat, quicquid obvium aut in confinio erat positum. Sic ille sua in *Pace*, petulantissimis Carminibus in quosvis, vivos & mortuos, incursare est solitus. Quin hoc ipso in Libello, non Me tantum, & Præstantissimum Jensium, sed & Collegas meos, Viros Clarissimos, Spanhemium & Gronovium, quia scilicet & illi Oratores habentur, nec eam artem Heinsiastro huic *propriam relinquunt*, acerbissime notat: Spanhemium quidem pag. 38. ubi de me ait, *Orationem habuit bene longam; ne vinceretur ab aliquo scilicet, qui in longitudine omnem Orationis pulchritudinem collocat; & quidem proximo post Collegam die.* Nemo hîc est, qui ignoret, *Collegam* hunc esse Virum, quem dixi, Eruditissimum, eumque pridie *bene longam* item *habuisse Orationem*; cui igitur *omnem orationis pulchritudinem in* sola ejus *longitudine collocanti* minime cedere hac in parte voluerim; Gronovium vero passim, quoties de nostra loquitur Academia: Veluti pag. 36. *O Scaliger*, &c. *Utinam Leidensis Academiæ formam aspiceretis, & Hos Ipsos Græcæ Linguæ & Eloquentiæ Professores.* Et pag. 59. *Deploravi* (illo scil. Carmine *in Blæsum* vel *Frigidum*

dum Oratorem) *conditionem Academiæ Lugdunensis, quæ pro Cunæis, Baudiis, Heinsiis, istiusmodi nunc Oratores ac Poëtas habeat, & eo ipso in loco Eloquentiam doleo periisse, ubi olim floruerat maxime.* Adde pag. 48. Sed satis est. Nam quis non videat abunde, nullam plane in his habere eum rationem Doctissimi Viri, *Veteris sui Hospitis*, quasi nullo esset loco inter Eruditos: certe nullo ne quidem verbo excipi illum, immo diserte satis comprehendi locutionibus, ut ajunt Grammatici, Pluralibus; quæ insuper siquid traherent ex vero, id vel maxime in Illum redundaret, quippe quum Ego per biennium tantummodo, ille ultra XVI. annos Humaniores & Græcas potissimum literas hîc fuerit professus. Et tamen quum manifeste adeo in Eum maxime rejiciat reipsa Francius causam corruptæ apud nos Eloquentiæ & Græcæ Linguæ, ne nominare quidem dignatur Virum Egregium, quasi οὐκ ὀνομαστὸν, οὐδ᾽ ἐναρίθμιον, quasi infra Francianæ iræ decus positum: videlicet, ne, si eum nominatim proscinderet, ista Odii declaratione minueret calumniæ auctoritatem. Quid? quod ne Auditoribus quidem nostris parcit, quando Jensium pag. 11. dicit *feroculum*, & addit, *Tam gnaviter militare discunt studiosi illi Leidenses.* Sic ergo ille *Pace* sua, quam prædicat tantopere, usus est in alios; sic etiamnunc utitur, bello licet implicitus, quando alius vel maxime paci cum reliquis colendæ studeret. Sic est, Εἰρηναῖος verbis, reipsa φιλαίτιος, & Κυνικὸς, quosvis allatrans. Sed tamen vel sic non Hoc etiam negaverim, neque Hac eum fraudaverim laude, quod, si quis ei quid reposuit antea, tum sane domi se continuerit tacitus, & latuerit magis mutus quam piscis, seu, ut ipsius

 utar

utar verbis, (Vide *Orationes* pag. 251.) *cum ab Inimicorum injuria vindicare se jure posset, siluerit & quieverit.* Quin ita etiam intelligendum arbitror, quod hic nobis narrat pag. 4. *haud unquam ullas cum quoquam mortalium se suscepisse inimicitias*, scilicet, quæ quidem in publicam eruperint altercationem, & scriptionem mutuam, quam cavebat & oderat maxime. Nam cæteroquin *Inimicis* carere quî posset, qui aliorum semper commodis & meritis obtrectavit acerbissime? & *Inimicitias* quo tandem pacto *nullas suscepisset*, qui ipse alibi *Inimicorum* in se *injurias* memorat, & inexpiabile odium palam exercuit in illustrem vere virum, Collegam suum, quum viveret, Lud. Wolzogium, atque omnes pene ejus Amicos? Causam si quæris, haud alia est, quam quia is, Theologus licet, literas tamen Humaniores, Historias, Antiquitates, ipsamque artem Oratoriam, successu, concursu, applausu docebat maximo, publice & privatim, quum interim Heinsiaster ille solus relinqueretur domi, & solus in Gymnasio obambularet. Justa, quis neget? iracundiæ causa apud ejusmodi ingenium: & ideo semper Viri merita maligno & infesto dente, sed sine *inimicitia* scilicet, carpsit. Ne cum illis quidem *Inimicitiam* suscepit, (nam *siluit & quievit*) qui jam anno hujus seculi LXXVII. ediderunt, non læsi, opinor, nec irritati, *Epistolam Mercurii de SC. Parnassico, quo Laurea petita denegatur Petro Francio, poëtæ Batavo-Latino, furti manifesti convicto, Virgilii, Ovidii, aliorumque interpolatori ineptissimo, Veteramentario illepidissimo*, & quæ plura sequuntur ejus generis. Ille tamen hoc demum anno *suum expertus est Alastora* pag. 3. Quid hinc colligis, Lector?

Lector? nisi ut illa ergo *Epistola*, qua Epicedium ejus Ruterianum revocabatur sub limam, & *Poemata ad scombros & thus relegabantur*, Honoris Franciani causâ fuerit passim vulgata? Nec est, ut hic denuo Peralti faciam mentionem, cujus quum *ignorantiam plusquam puerilem, & insolentiam ineptissimi Hominis in horribili & sacro libello*, publice increpuisset, atque illum sibi quid respondere, idque suas ut deferretur ad ædes, immo & manus, curare ausum vidisset, conticuit illico, neque vel verbum reposuit unquam, haud dubie, ne *inimicitiam cum quoquam*, ne quidem Homine Gallo, Græcarum Latinarumque literarum Hoste acerrimo, *susciperet*, licet cæteroqui speciosum illud sibi & illustre futurum fuisset eruditi sane pulveris certamen. Quid vero, Lector? quam dabis jam aut excogitabis rationem, quod ille nunc tamen tandem —— —— *flexisse videtur*

Propositum, & vitæ contrarius ire priori?

Referes hoc forsan ad peculiarem præcipuæ cujusdam invidiæ & malevolentiæ causam. Sed si me quoque ferre potes gloriantem, ut sæpe Gloriosum tulisti Heinsiastrum, edisseram tibi Ego fecundissimam Gloriæ meæ materiam. Argumentis mecum rem puta, sodes. Fuit utique Ille Pacis & quietis semper amantissimus: *cum ab aliorum injuriâ vindicare se jure posset, siluit & conquievit*: Me contra scivit, certe ipse ita tradit pag. 4. *per aliquot jam annos continuos*, quos pag. 13. *toto septennio* definit, *rixas literarias fovisse, & cum omnibus pene hominibus bellum gerere*. Et tamen, Ille antea tam Pacis studiosus, Me strenuum adeo & assiduum Bellatorem, nunc ultro invasit epigrammate acerbissimo, ortamque inde rixam pertina-

citer & triplici Epiſtola perſequitur. Quid aliud cenſes, Lector, illum ergo ſpectaſſe, aut quæſiviſſe, quam mecum ut publice congrederetur, tanquam illuſtri maxime Adverſario, ex quo palam oppugnato laudem ſibi & gloriam compararet. Papæ! quanta Gloriæ ſeges! Parum abeſt, quin graphicum me, & quantivis pretii hominem jam cenſeam, vel ipſa

Sublimi feriam ſydera vertice;

Quippe per quem potiſſimum *Eriſticis*, ut ille ait, nobilitari volunt Heroes Achivi, immo contra quem Tragico ſe Choragio inſtruentes, *Cœlum*, *Terram*, *Maria Neptuni* invocant, atque *animis opus & pectore firmo* ſibi inclamant. Quis in tantæ poſitus gloriæ faſtigio, *Temperare SE* (phraſi Franciana) *poſſet*, quo minus omnibus incedat lætitiis & pene deſipiat penitus. Sed extra jocum, parvule Heinſiaſter, Tu quid tandem *toto* egiſti *ſeptennio*, quo me tamen aliquid egiſſe vis? Qui porro ſunt illi *Omnes*, cum quibus bellum gero? Quid cauſæ dicis, quamobrem non & heic habearis pro homine nullius fidei & frontis, niſi oſtendas publice, cum quibus bellum geram aut geſſerim, præter unum Huberum, qui me itidem, ut tu, prior invaſerat: aut nos doceas, *Omnes Homines* & *Unum Hominem*, eſſe jam idem, quod tam facile, opinor, probabis, quam *propriam tibi* Barbariem. De me ſic habeto;

Si quiſquam eſt, qui placere ſe ſtudeat Bonis,
Quam plurimis, & minime multos lædere,
In his Ego quidem *nomen profiteor meum.*

Neque id verbis tantum præfero, ſed rebus ipſis ſemper præſtiti. Varia jam edidi, in quibus multa mihi occaſio fuit alios durius tractandi. Neque tamen exortus

tus est quisquam, qui se male à me habitum quereretur, quamvis libere & nominatim aliorum sententiam sæpe, ubi opus erat, refutarim. Sed ea semper cum humanitate & modestia id feci, ut publice fuerim hoc nomine laudatus, & privatim per literas etiam ab illis ipsis, à quibus ita in contraria abieram. Si qui alii mea refellerent, licet nullis subnixos putarem argumentis satis idoneis, æquo tamen id animo accepi, nec cujusquam amicitiæ ea propter renunciavi. Testes citare possim duos in his terris Viros & Professores Celeberrimos. At contra si quis me animi gratia inclementer incessat, meamque existimationem, quantum in se, laceret & proscindat, non sum mehercle

Tam *diis adversis genitus fatoque sinistro*,

ut me meaque iisdem armis tueri, &

Ἄνδρ' ἀπαμύνασθαι, ὅτε τις πρότερος χαλεπήνῃ,

non ausim nec velim. Quin quum sustineam publice impositam mihi, in Franequerana nuper, nunc Lugdunensi in Academia personam, id mihi datum negotii autumo, ut in Arte & Scientia, quam profiteor, nomen & famam servem Academiæ salvam atque illibatam. Quocirca, si impune me paterer contumeliose exagitari, & per ora Hominum traduci, tanquam ineptum, & artis meæ imperitum, pari tunc jure socordiæ me & ignaviæ accusatum iri arbitrer, quo reprehenderetur Centurio quispiam, qui gladio accinctus patienter se ferat gladio ab aliis verberari. Neque existimo quenquam, qui quidem æquus sit harum rerum arbiter, iniquius aut sequius interpretaturum, si petulanti & maledico obtrectatori non tantum semel, sed si pergeret, vel decies responderem, quum tralaticii sit juris, ut accusato in infinitum respon-

ſpondendi , ſuique defendendi concedatur poteſtas. Neque periculum eſt ullum , ne quid ex literariis ejuſmodi rixis detrimenti ſentiant Academiæ , quum è contrario incrementa inde capiant plerumque haud pœnitenda , in primis ſi non in mera illæ & Franciana diffundantur convicia , ſed in aliquam liberalium ſcientiarum particulam convertantur. Nam quum cæteri majoris molis & frugis libri à compluribus negligantur hodie, hæc ſcripta vulgo diripiuntur & leguntur ab omnibus avidiſſime. Quæ dixi , nemo negaverit facile , qui Franequeranæ Academiæ fortunas conſideret , inteſtinis illis litibus , per omnes pene diſciplinas exercitis , majorem in modum auctas. Nolim tamen vel hac mercede velitationibus iſtis oleum & operam ultro impendere , aut eas provocare prior, ſed multo malim in interiores me literas abdere , & aliud quid communibus ſtudiis profuturum meditari. Et huic ipſi jurgio quam nullam ego præbuerim cauſam , quam omnis ejus culpa in Francium , licet illius auctoritatem nunc defugiat , tamen ſit conferenda , non contendam rationibus conquiſitis , ſed facile rebus ipſis jam demonſtrabo.

Orditur ille longam exortæ inter nos inimicitiæ ſeriem multis logis , & *ſplendidorum* (liceat mihi verbis *tibi propriis* uti , cultiſſime Franci) *mendaciorum* fabulis contexere. Initium repetit , & recte , (ſed in quo miror Hominis imprudentiam) ab Amſtelædamenſi Profeſſione , quam *me tentaſſe clanculum* ait pag. 8. *per meos Emiſſarios* , quia tunc *continuato per aliquot annos in Friſia cum Collega bello preſſus , de alia mihi conditione circumſpiciebam.* Deſignat annum abhinc quintum , quo exeunte Francius

Col-

Collegam sibi datum iri metuens, obnixe omnia egit, ut Lugdunum vocaretur. Ego vero ita tum *aliam circumspiciebam conditionem*, (nam sic Ego didici Latine loqui) & ita premebar istic ab Adversario, ut unico anno ante, eo scilicet, quo ineunte decesserat Cl. Rijkius, oblatam mihi jussu Nobiliss. Curatorum & Consulum Lugdunensem hanc cathedram, nihil hæsitans aut cunctatus, repudiaverim confestim, eaque gratia Amplissimi Frisiæ Proceres mea annua tunc auxerint. Quum dein ante biennium denuo à Nostris rogarer Proceribus, ut Hanc stationem Franequerana mutarem, adeo & tunc *oderam ego Frisiam, & affulgentem occasionem* avidus arripiebam, quod ille ait ibidem, & *tam insignem in Franequerana Academia famæ jacturam feceram*, quod pag. 64. ut, quamvis lautissimum mihi promitterent honorarium, simpliciter tamen & sine exceptione etiam illud rejecerim, nec susceperim denique spartam hanc ornandam, nisi eâ conditione, qua fruor, & qua mihi per Epistolam Vir Amplissimus, quo illi interprete & Auctore apud me utebantur, neminem quenquam Humaniorum Literarum Professorem vocatum antea affirmabat: Illustres vero Frisiæ Proceres, quum id illis significarem, ægerrime tulerint, meam me operam addixisse Batavis; quin & nonnulli eorum, auctoritate præcipui, fide dignissimi, asseverarint, si mansissem, majoribus ac luculentioribus sese commodis me aucturos fuisse, quam quæ à Batavis essem capturus. Ignosce Lector hisce inanibus; nam vere inania sunt & κενὰ καυχήματα, sed quæ mihi expressit impudentissima Francii calumnia, ut factis ipsis, & publicis factis, declararem, *quo odio Frisiam* habuerim, & quam istic *famæ*

 fece-

fecerim jacturam. Sed quid ille ſcribere palam non erubeſcat? qui *ſplendidum* appellat *Mendacium* pag. 21. quod Poëta Græce me *ſæpius Leidam vocatum* cecinerit, *quem ille ne ſemel quidem vocatum dicit, vel ſummum ſemel.* Quid in his lateat acuminis, nullus video. Mera impudentia eſt, publicam & certam rem negare. Id tamen videtur velle, me non accepiſſe bis, ſeu utroque tempore, Epiſtolam ab ipſis Illuſtriſſ. Curatoribus & Conſulibus. Sed ſcito, Aſtutiſſime Franci, non uti me tuis artibus, quibus, quum omni ope ambiviſſes, ut hanc cathedram Illuſtres Viri, poſtquam me nequidquam invitaſſent, tibi decernerent, illos tamen turpiter eluſiſti repuliſtique. Ego ſimpliciter & meo more, quum mihi delatæ conditiones non arriderent, meam animi ſententiam explicui illis, quorum auctoritatem Illuſtr. Curatores apud me adhibuerunt. Ejuſdem generis eſt, quod me *tentaſſe* fingit *Amſtelædamenſem Profeſſionem.* Res hæc ita ſeſe habet. Quamdiu in vivis erat Rever. Wolzogius, qui Amſtelædami docebat etiam Hiſtorica & Humaniora, in maxima tunc ſolitudine agebat Francius. Ipſe id experiundo didici. Etenim quum ſæpe audiviſſem Hominem miris modis in prædicandis ſuis dotibus ineptientem, volui, quum forte Amſtelædami eſſem, ſi non poteram orantem, publice tamen docentem videre. Aſcendo itaque in Gymnaſium, cujus poſteriori tum Auditorio ille utebatur. Reperiebam id apertum, ſed cathedram & ſubſellia prorſus vacua. Quod quum cernerem, adſtabam aliquantiſper foribus prioris Auditorii, quod eſt intrantibus ad ſiniſtram, & in quo tunc eadem hora ſuam profitebatur artem ὁ μακαρίτης Byæus. Dum iſtic hæreo, ſubitum percipiebam ſtrepitum hominis

minis ſeſe moventis in illo altero. Intrabam itaque illud continuo, ut ſciſcitarer, ecquid cauſæ eſſet, quare Francius non æque, ac Byæus, ſuas partes & horam obiret. Ego vero ipſum ibi inveniebam τὸ ἀπείροχον ἄλλων φρέγκιον, εἰν σταδίῳ τὸν τέλτον, ſolum ſecum in Gymnaſio obambulantem, ſine Comite, ſine Auditore, ſed qui Ipſe ſibi ſatis amplum, ſcilicet, erat Theatrum. Quum rogarem, quid rei eſſet, quod ſic ſpe mea exciderem deprehendendi eum in cathedra pro concione Academica diſſerentem, ille mihi querelas reddebat. Hem, ait, ſic jacent hic literæ: Ita *Pueri* (hoc ejus erat verbum) à me abducuntur! Ita res hic geritur. Quid plura? Cum hiſce querelis abimus inde, & ſic verum exſtitit, quod dicit pag. 47. me *nunquam eum audiviſſe*. Quum itaque eo loci eſſet iſtic illius exiſtimatio, quum eam de ſe opinionem tot annis concitaſſet, eamque ſibi conciliaſſet Auditorum frequentiam, accidit anno abhinc jam quinto, ut Viri aliquot Ampliſſimi privatim conſilia inter ſe conferrent, de me Amſtelædamum vocando, non ut mihi gratificarentur, qui illis, ut nullo odio, ſic nulla etiam gratia aut amicitia eram cognitus, ſed ut ſuæ juventuti & Gymnaſio conſulerent. Hoc ita geſtum ſeu agitatum, me prorſus ignaro, & poſtquam ejus aliquid inaudieram, quieſcente ac nihil movente, ſi credere nolit Francius, ciccum non interduim, quum certus ſim, nunquam id ſecus repertum iri, nec verear in hoc negotio cujuſquam hominis conſcientiam. Ipſe Cl. Grævius, qui & prius & melius norat omnia, quam Ego, abunde Francium docere potuit, & revera docuit, ut cœperint illa, ut acciderint me inſcio, quam temere & falſo me accu-

 ſaret

ſaret *ſupplantationis*, quo vocabulo Noſter heic utitur. Sed tamen vel ſic obortam ſibi ſuſpicionem & inde iram atque odium delere ex animo non potuit iracundus Homo. Hinc ergo frequentes ejus paſsim apud Communes Amicos alioſque de Me querelæ. Et quum antea alter alteri noſtra ingenii monumenta pro amicitiæ neceſsitudine miſiſſemus, certe Ego omnia mea, Ille ſuorum *Poëmatum* libellum; tum vero quum *Orationes* ederet in unum volumen collectas, me ex Amicorum eraſit albo, nullumque illarum ad me exemplar curavit. Per ſe leve hoc eſt, & exiguum quid; ſed quum illud connecterem cum perlatis ad me in Friſiam uſque querelis iſtis & accuſationibus iniquiſſimis, quũ nota etiam mihi eſſet hominis iracundia cum aliorum contemptu incredibili conjuncta, decrevi paribus modis deinceps agere cum Francio, h. e. ſolitis mihi amicitiæ officiis ſuperſedere. Biennio ferme poſt vocatus fui & migravi Lugdunum. Contendens itaque in Batavos appuli Amſtelædamum ſummo mane, & ita circa Decimam matutinam adii, ut ſoleo, Wetſtenium, ut ex eo cognoſcerem, ſi qui eſſent in Urbe Amici, & communium literarum Antiſtites. Ille vero, ſimulac me vidit, refert continuo, Deſideratiſsimum mihi Grævium eſſe eo ipſo temporis articulo in ædibus Broukhuſii, inde vero diſceſſurum hora prima Trajectum. Rogat porro, ut quoniam ipſe eo ſe conferebat, ſecum irem. Non dubitabam equidem, Francium quoque iſtic repertum iri, ſed nolebam propter eum nec Broukhuſii ædes, nec Grævii amplexus fugere. Videmus itaque alter alterum, prandemus una, proſequimur Grævium, redimus, ſeparamur. Francius ad ſuos penates, Broukhuſius & Wetſtenius

nius mecum in interiora urbis contendunt. Fit iſtic obviam nobis Cl. Coutierius, cum quo conſtituitur, ut in taberna, quæ a *Moneta* nomen traxit, conſideamus aliquantulum & confabulemur. Aſſentior, ſed ita, ut prius aliquid negotii, quod brevi peragi poterat, curarem. Promitto itaque me reverſurum, & revertor. Broukhuſius interim Francium denuo adduxit, qui ibi multa de Ienſio & ejus carminibus, ut ſolet aliena, poëtica inprimis, & quicquid ejus generis ex alterius eſt diſciplina ortum, vituperare. Mox Suorum Diſcipulorum quædam exercitia tradit Coutierio, eorumque reſiduum dein mihi, qui aderam. Venio ſic tandem Lugdunum, & ſolennem auſpiciis Academicis Orationem, poſtquam edita eſſet, mitto Amſtelædamum ad Amicos, non item ad Francium, ut qui ſuas mihi non donaverat. Hinc vero præcipui & novi in me irarum ſtimuli, novæ querelæ. Nec mora; literas accipio hac ipſa de re a Spectatiſſimo Wetſteinio: quid ita prætermiſiſſem Francium, qui iſta utique exercitia mihi nuper dediſſet. Reſpondi, partim per literas, partim coram, me nunquam commiſiſſe, ut hujus officii ille quicquam in me deſideraret; cæterum ita eum cognoviſſe, ut qui ſit ex iſto hominum genere, quos Cicero dicat, *deteriores fieri rogatos*, vel officiis cultos. Exercitia iſta eſſe alterius generis, & proprie Coutierio data, eaque cauſa, & quia ſalva Urbanitatis cujuſdam ſpecie aliter tunc in re tantilla fieri non poterat, Mihi quoque. Si ego cuiquam, Francio præſente, meam dediſſem Orationem, haud dubie & illi fuiſſe per eam occaſionem daturum: ut mitterem ei, qui ſuas mihi mittere noluerat, nullo poſſe jure a me poſtulari: ſimulac tamen mihi quid

rerum ſuarum denuo mitteret Ille, me curaturum viciſſim, ut quicquid meo deinceps prodiret ſtudio, id omne, ut antea, per me quoque acciperet. Eadem pene dixi Broukhuſio. Atque hæc veriſſima eſt rei geſtæ Hiſtoria, ſine diſſimulatione aut interpolatione, ſincere & ſimpliciter relata; ſed quam ille *ſplendidis*, ut dicere amat, *mendaciis* contaminavit, quorum quædam nihil prorſus veri habent, quædam ita diſtorta ſunt, ut nullam veri ſpeciem aut ſimilitudinem retinuerint, & neque pes uſquam, neque caput rei compareat. Prioris eſt indolis, quod fingit pag. 8. in *Bibliopolio Wetſteniano* mecum ſe egiſſe de iſtis meis *ſupplantationibus : me negaſſe rem factam : nihil molitum, ſanctiſſimis verbis aſſeveraſſe :* ipſum ergo *reſpondiſſe, ſe igitur ſuſpicionem iſtam deinceps amoliturum : poſt paucos dein dies* nos prandiſſe cum Grævio Trajectum redituro apud Broukhuſium, &c. Non eſt ullius in alterutram partem momenti tota hæc Narratio, atque ideo nullum mihi negandi eam, ſi quid ejus accidiſſet, pretium. Sed tamen non poſſum me continere, quin palam teſter, me ſanctiſſimis verbis & liquido plane animo, ſi opus ſit, juraturum, nullam in ea veri partem ineſſe. Nemo mihi quicquam humani aut divini deinceps credat, velim, ſi Ille unquam ea dere ullum mecum commutavit verbum. Et tantum abeſt, ut Ego me ſimpliciter excuſaſſem, ut ſi ille auſus fuiſſet ejus rei facere apud me mentionem, graviſſime eum fuiſſem incuſaturus, quod tam temere & inconſulte veterem jam amicitiam ſolo hoc nomine iracunde adeo præcidiſſet. Sed & hæc ipſa utique mea fuit ratio, quare poſtea apud Broukhuſium de iſtis Francii ſuſpici-

cionibus expostularim, quod quam alienum foret, si jam alter alteri, & paulo ante, satisfecissemus, res ipsa, me tacente, loquitur. Adde, quod eo demum die, quo Grævium pariter deduximus, Amstelædamum ex Frisia appulerim, atque ideo necopinanti Grævio supervenerim iis demum horis, quibus abitum parabat. Vides, Lector, quam impudenter ergo Ille *paucis diebus* ante in Bibliopolio mecum egisse se de ista *supplantatione* garriat. Quid censes? reperistin' usquam quicquam illo Homine audacius? *Saltem, si pudoris egeat, sumeret aliunde mutuum.* Sed uno hoc ex crimine disce etiam & pernosce, quam fluxam in reliquis gerat fidem, quæ tamen & ipsa ita à vero abhorrentia refert, ut abunde pelluceant sycophantiæ ineptissimæ, nec ullum reliquerit idoneum consutis mendaciis mantelum. Tale est, quod de Coutierio tibi obtrudit, quasi ægre tulerim, idque insuper declaraverim postea, tria illi, mihi duo Exercitiorum juvenilium data esse exemplaria. Tantine ergo esse ea, aut mihi, aut cuiquam sano putas? tam desiderata, tam optata, tam invidenda bona? O ineptissime mortalium! Sed dices, prælatum tibi doluisti Successorem tuum. Qua in re? Quod illi tria, tibi duo tantum dederim. Ergone in re tam nihili, intra privatos parietes, inter Amicos, potiorem habitam rationem Hominis mihi Amicissimi, qui dudum ante me, etiam quum Ego adhucdum in subselliis Academiarum Trajectinæ ac Lugdunensis hærerem, Professor jam fuit, adde, qui tibi tunc propior sedebat, quod omisisti, denique quum tu tam sedulo, ut refers, id excusares; id ergo, inquam, tali modo gestum, sequius Ego & indignius acciperem, idque apud intimos tuos palam

decla-

declarare non erubescerem? Sanusne es, qui rem tam absurdam & insulsam cuiquam Te persuasurum credas aut postules? Nunquam neque ipse Coutierius gerris talibus fidem habebit, quibus fallere si quem velles, saltem veri speciem dare debuisses, mi Homo. Nam *doli non sunt doli, nisi astu colas*. Nunc meras nobis nugas, & deliramenta, primâ statim fronte plusquam ridicula, blattis. Res erat, ut dixi. Quum Amici hæc Exemplaria allegarent, quasi amicitiæ denuo cum Francio conciliatæ argumentum, Ego qui decreram dudum, non amplius ineptire, & subire vultum istius Simii, h. e. meis officiis colere Hominem, qui respondere iis consulto noluerat, ne jam plus satis insolentem redderem etiam insolentiorem ac deteriorem, respondi tum sane id, quod paulo ante retuli, neque Orationem Inauguralem, ut vocant, ad eum misi, sicuti nec ille mihi suum miserat aut mittebat libellum. Quanto hæc ut veriora, ita & verisimiliora?

Cæterum Huic Orationi adjectum erat Græcum Præstantissimi Iensii Carmen, quem non minore prosequebatur odio, partim quod eum relicta Lugduno suam in disciplinam se traditurum, incassum speraverat, quam spem sibi coram illum fecisse, sed dein elusisse, querebatur: partim & vel maxime, quod diligenter ille & feliciter pro captu & ratione ætatis Poëticam coleret, nec tamen ex Ipsius disciplina aut latere provenisset. Hæc enim prima & summa apud Heinsiastrum hunc est mali labes, qui, quum deberet *crescentes ornare Poëtas*, fovere aliorum conatus, & hortatu suo comprobare, absterret è contrario omnes, si quam obtrectandi ansam invenit, nihil
con-

condonans avidissime eam arripit, atque ita messem sæpe in herba præcidit. Nullos certe Poëtas agnoscit aut admittit, nisi sua formatos manu, aut quos suam in Gratiam recepit. Immo vero nullum plane novi hisce in terris, cujus ille carmina non explodat, aut palam fastidiat, præter unius Jani Broukhusii, Sodalis sui, haud dubie, quia, velit nolit, probare debet probata ab omnibus: vel, ut habeat saltem unicum suæ Gratiæ, (nam ut ille apud Petronium *Vinum Dominicum ministratoris esse gratiam* ait, ita Heinsiaster *hicce*, Artem Poëticam, si Musis placet, Suæ Rem esse vult Gratiæ) quod ostentare possit, exemplum, ne si omnes æque sine ulla exceptione aspernaretur, nimis palam se ipse elegantioribus & emunctæ naris Hominibus deridendum propinaret. Ab hoc uno autem si discesserimus, neminem inveniemus, in his certe terris, cujus ingenio ille non obtrectet; impetum non reprimat, studia, quantum in se, non exstinguat. Nec cogitat inficetus, si nulli ad hæc sacra admittantur, nisi qui ad summa & prima eniti facile queant, immo si neque illi, qui in secundis aut tertiis possint consistere, tum brevi non tantum nullos fore amplius Poëtas Latinos, sed & maximam fore necessario penuriam eorum, qui illos legant aut colant. Ille vero nihili hæc ducit, modo hisce artibus *sibi* quid *proprium* habeat, neu

Urbibus *in nostris* quisquam sibi *certet Amyntas*,
Quin *idem Phœbum certet superare canendo.*

Nam solus, ut credi vult,

— — — *Proxima Phœbi*
Versibus ille facit Tertius Heinsiades.

Verissima esse, quæ dixi, norunt omnes, qui Hominem norunt. Nec ignorat ipse, quam sæpè malignum hoc aliorum merita & dotes carpendi studium reprehenderit & detestatus fuerit Cl. Græ vius. Quin & mihi (vere dico) sæpissime odio fuit tædioque maximo perpetua illa alienorum Carminum exsibilatio, quam & sibi majorem in modum displicere alius Humaniorum Literarum Professor superiori æstate sua sponte mihi testatus est. Et cui non displiceret? nam quid est aliud, quam ærugo mera, & succus atræ loliginis. Ne vero dubites, quin ita sit Hominis ingenium, audi ipsum pag. 17. ubi Jensium ait, *voluisse etiam Græcæ Poëseos facere experimentum, ne quicquam MIHI PROPRIUM relinqueret scilicet*. Hoc nempe erat *nigri livoris*, ut ipse id ibidem interpretatur, immo grande nefas, quod Adolescens iste, ut tum erat Jensius, non eam præstabat reverentiam Heinsiastro, ut *Proprii* aliquid Viro relinqueret. Ergo *Græcæ* illud *Poëseos experimentum* omni erat occasione, omni tempore & loco, atrocibus verbis exagitandum, & tantum non pipulo differendum: nihil erat donandum ætati, nihil tirocinio, Juvenis industrii, ingeniosi, humanioribus literis addicti devotique, & sedulo tentantis viam, *qua itur ad carmen*, si *audiat vocatus Apollo*. Quis non miretur incredibilem hunc jejunæ prorsus invidiæ æstum, & nescio quam indecorem plane sollicitudinem? Professorem Veteranum, & Poëtam sua utique sententia Primum, Juvenis tantum, quod exorientis, & exspectationem de se concitantis, rudimenta, tam sollicite, tam studiose, tam acerbe, tam inique, toto biennio examinare, carpere, increpare, ut neque a

com-

commatibus & accentibus abstineat manum censoriamve notam, ut certissima officinæ errata Auctori vitio vertat, ut incitatissimam libidinem omnia, etiam recta, vituperandi manifeste prodat, Seque insuper ipsum exponat periculo, quo cogatur ab Juvene, quem tantopere contemnit, discere, non esse vitiosa, quæ pro vitiis habuit! quo quid turpius evenire potest Homini? nam certe

Turpe est Censori, quum culpa redarguit ipsum.

Sed quid sibi vult tanta sollicitudo, tantum studium opprimendæ illius industriæ, tanta obtrectandi libido? quis in hac herba latet anguis? Nempe, *Livor, iners est vitium, & res solliciti plena timoris:* non ferre potest aliorum bona aut res opimas: metuit semper, non tantum ne *proprii nihil sibi relinquant*, sed & ne caput supra se altius exserant alii, suamque obscurent gloriolam. Accedebat peculiare in Jensium, & pene plusquam Vatinianum, Odium, nulla illius culpa, nisi quod carmen condit non ab Heinsiastro hoc edoctus, aut receptus in Poëtarum ordinem. Denique & illud; quia in me ipso, qui Barbariem illius & stribliginem publice ostenderam, nihil reperiebat, quod exagitaret, per Jensii itaque latus Me tamen petere voluit, ut ita duos parietes ex una dealbaret fidelia, clamoresque ciere posset, & crepare bombos: *Hæc non animadvertit Valerius: Hæc non intelligit Accinctus* &c. Ego vero Carminis causam transmittam ad Jensium totam, qui ejus est Auctor, nec præripiam quicquam Viro præstantissimo eorum, quæ reponi possunt iniquissimo Censori, tanto magis, quoniam & ipse id me rogavit. Contineri tamen nequeo,

queo, quin ſtolidam Hominis iniquitatem viciſſim increpem, qui tam inclementer objurgat primo Juvenem de eo, quod in metricas Græcorum leges alicubi peccarit, quum ipſe utique *magnam fuiſſe Græcorum Poëtarum licentiam confiteatur* pag. 35. & ex Heinſio *ſæpe in ſyllabarum modis erraviſſe* dicat *Angelum Politianum*, qui tamen *Græcos verſus ea elegantia ſcripſit, ut Græcorum nemini priores relinquere judicaretur*, teſte Paſcaſio Groſippo *Paradox. Ep.* 5. quemque Scaliger ad Catullum *cum nullo ſuæ ætatis comparandum* ait, certe cujus ſcripta ferent ætatem, qua Francii Barbaries jacebit jam dudum in tineis & blattis ſepulta. Quod ſi tantæ eruditionis Homo in hiſce minutiis ſæpe tamen lapſus eſt, quid mirum ergo, Tironem alicubi offendiſſe? Porro autem Latinam Poëſin certum utique eſt frequentioris eſſe hodie uſus, cultus, & utilitatis. Et tamen in ea etiam reperiuntur Viri Eruditiſſimi, Poëtæ inſuper præſtantisſimi, peccaſſe crebro ſatis. Collegit talia ex *primo Tomo Illuſtrium Poëtarum Italorum.* Paſcaſius Groſippus *Parad. Liter. Ep.* 5. pag. 36. 37. 38. & ex aliis Gerh. Joh. Voſſius *de Arte Grammat. lib.* 11. *capp. ultimis*. Deinde vero in Me quam inſana & ridicula debacchatur ferocia, non quod errarim ipſe, ſed quod non caſtigarim rejecerimque ea, quæ alius, mihi etiamdum ignotus, ſuo nomine & periculo ſcripſerat, & ego tunc occupatisſimus ne quidem legeram? Etenim carmen illud Jenſius, quum compoſuiſſet, dedit Cl. Gronovio, qui tempore veſpertino prope octavam ad me adiit, idque mihi ſedens ſedenti prælegit, ut ſcirem, quid rerum in eo diceretur, & mox diſcedens ſecum abſtulit, ut Jenſio

red-

redderet. Is vero aliquot diebus poſt ipſe id ad me detulit, ut Orationi, quæ jam typis deſcribebatur, pro more ſubjiceretur. Accepi illud, & penes me repoſui, uſque dum daretur officinæ: nec legi denuo, quippe quum argumentum Carminis ſcirem, &, ſi unquam, eo tempore eſſem diſtrictiſſimus, ſiquidem, ut ferme fit, recenti in urbem commigratione, ſimul inſtruenda erat domus ſupellectili, Bibliotheca ordinanda, tempora Amicis, Notis Ignotiſque, danda & reddenda, Oratio inſuper curanda, & ab Operarum purganda hallucinationibus: omnia hæc agenda mihi ſimul, & acta intra tres dierum hebdomades. Quin immo per has occupationes etiam illud evenit, ut carmen, quum jam prelum ſubiiſſet, ne quidem ipſe ſuſceperim, ſed Jenſio, cujus erat, dederim, corrigendum. Vides ex his omnibus, quiſquis es Aequi Animi Lector, quam inique tantis clamoribus mihi vitio vertatur, quicquid tandem ibi ſit peccatum, etiam ſi peccatum foret graviſſime. Et tamen jam ab initio, poſtquam Carmen hoc parvulus ille Heinſiaſter mala iſta mente, malo animo, legiſſet & exegiſſet moroſiſſime, non ceſſavit jactare paſſim Amſtelædami, multa in eo reperiri vitia, eaque à me non animadverſa increpare. Sermonibus illis Lugdunum quoque perlatis, ſcripſit Jenſius Humaniſſimam ad Eum Epiſtolam, qua rogavit Hominem, ut etiam Abſentis vellet Poëtica juvare ſtudia, ſeque edocere, quæquæ in illo Græcæ Poëſeos ſpecimine obſervaſſet, ut ita ipſe ſibi deinceps caveret ab iis, quæ parum recte ſe habeant. Sed quid ad hæc jejunus ille Heinſiaſter? Nihil prorſus reſpondit, nec tamen deſtitit apud quoſvis jactare generatim Magnam vitiorum ſegetem iſtic ob-

viam. Aliquanto tempore post de aliis rebus literas dedi ad Broukhusium, in quibus tamen etiam id scripsi, vehementer mihi displicere malignum Francii animum adversus Juvenem melioris notæ, quem mallet absentem detrectare, quam docere, honorificentissime licet rogatus. Addidi, si forte per Jensii latus me peteret, brevem carminis istius Historiam, modo à me expositam: nec gravatus sum fateri insuper, me, quia Græcam non exerceam Poësin, seu, Græca non pangere soleam Carmina, non ita in promptu habere & numerato metricam singularum syllabarum rationem, ut, si quæ festinanti oculo etiam legerem, nedum audirem tantum, continuo deprehensurus sim, quiqui in eo nævi istius generis hæreant. Eadem postea coram repetii apud Broukhusium. Heic vero reperisse se putat Noster Petrullus, quæ exagitet, sed mavult ea ex colloquio, quam ex literis, quas silentio involvit, referre: scilicet, ut tanto tutius & confidentius possit, quæ vere dicta sunt, adulterare, & in sequiorem flectere partem. Nam si tam bene novit, quid Amicus Amico dixerim, novit etiam, quid scripserim: & scio non ignorare: quidni ergo Epistolam protulit mea manu scriptam potius, quam jactata in sermonibus, quorum infida sæpe est memoria, & incertior relatio? Nempe, ut dixi, quia hæc aliter narrando depravari possunt, Epistolæ non item. Fingit ergo pag. 13. & seqq. affirmasse me, nihil omnino nævorum in Jensiano reperiri Carmine. Atenim si verum id foret, probari posset haud dubie, & deberet, ex Epistola, quippe quam scripsi re recenti, ante ullum de hisce cum Broukhusio colloquium, quando tale quid, si sen-

si sensissem, re nondum explorata, facilius multo affirmassem, quam dudum postea. Sed & quî ita sentire & loqui, quî ita ex animi sententia, quod vult tamen, contendere potui, quum ipse pag 37. dicat *me errorum istorum probe mihi fuisse conscium?* Si conscius fui, non utique ignoravi. Si non ignoravi, quid ergo clamat Heinsiaster, quasi nunquam quicquam vitii in eo agnoverim? Fingit itidem, me etiam Cl. Voldero, Collegæ meo, dixisse, *in Poëtarum, præsertim Græcorum, Lectione me non esse versatum.* Hoc vero est ejus generis, quod non verbis, sed rebus ipsis refutari debet. Atque idcirco nullis verborum utar adseverationibus in re, quam ex Adversariis & Excerptis meis demonstrare possim, & Æliano brevi, si Deus dederit, edendo atque uberioribus illustrando Notis publice declarabo. Id tantum hic dicam, Cl. Volderum testari, nunquam se tale quid dixisse Francio, seu, de *Lectione* nullum fecisse verbum, de Metro tantum Græcorum, & Carminibus ea lingua à me condi non solitis retulisse ea, quæ vera sunt & paulo ante exposita. Ita vero suo ipse indicio prodit Heinsiaster ille, quam fidem mereantur narrationes ejus ex talibus colloquiis repetitæ. Sed & satis memini dixisse me Broukhusio; etiamsi diligentissime quis *legerit* Poëtas Græcos, vel sic tamen, nisi crebra etiam pangat Carmina, memoriâ non complexurum fideliter satis singulos syllabarum modos, qui ex mero pendent usu. Eos ergo non ita in promptu me habere, ut continuo quosvis ejus generis nævos arguere ausim, & scripsi & dixi, & dico etiamnunc. Hîc vero ille exclamat pag. 12. *Leges Metrícas ignorabit, in leges metricas peccabit, Eloquentiæ Professor?*

Harum

Harum rerum ignarus erit, quæ prima sunt fundamenta literarum nostrarum? Quid audio? Hæc *prima* sunt *fundamenta literarum*, quæ Nulli sunt bono, nisi Iis, qui carmina solent condere, Græca certe in linguâ, quippe quam à parvulis discimus pronunciare, & publice semper scriptam exhibemus, prout exigit hodierna Accentuum ratio, à Metrico usu abhorrentium quam maxime? Tu, Bone Vir, quam graviter in hoc Libello impegeris in Conjugationum & Syntaxeos Latinæ analogiam, vere *prima* & Linguæ & Grammatices *fundamenta*, videbimus in sequentibus. Dein, quando aut ubi Ego ipse in Leges metricas peccavi, Censor Cato, qui Græca utique Carmina, paucissimis quippe intellecta, condere non duco operæ pretium, & malo mea illa literarum interiorum (quas rides, quia ignoras) studia publico judicio exponere, ac usui devovere. Denique quis tandem est Eruditorum, qui leges Græcorum metricas, tanta licentia & varietate utentium, *quibus*, ut ait Martialis, *est nihil negatum* in metro, quorum certe Prosodía vix ullum nobis exhibet præceptum non exceptionibus multis restrictum, Lingua neutiquam ex metro pronunciatur, Carmina rarius panguntur, qui illas ergo ita penitus habeat cogitas, ut omnia hujus generis subito & ex sua decidere queat memoriâ? Tu ipse, mi Homo, salva fronte promittere id de Te audeas? Habes, fateor,

—— —— *durum os, vel potius Pugilis*,

aut militis Gloriosissimi. Sed novi Ego Te, & comperi sæpe in Latinis fluctuantem atque ignarum quantitatis syllabarum, quando ex Analogia aut frequentissimo usu illa non constabat. Istic ergo, quum ex Memoria

moria absque adjumento aut subsidio rem expedire semper nequeas, Tu nobis ita Te jactabis publice & assimulabis, quasi exacte quarumcunque apud Græcos syllabarum rationem metricam noris, nec sentis irrideri Te, ut vanissimum Ostentatorem, ab omnibus Eruditis, quorum vix quisquam Memoriæ suæ tantum tribuet rei tam Variæ, tam Multiplicis, tam Incerta Ratione nixæ, denique, quæ tam exigui est Usus? Et tamen, si à quoquam, abs Te maxime exigi id deberet, qui per xx. amplius annos Tui muneris aliud nihil egisti, nihil curasti, nihil præstitisti publico, præter tinnula atque inania rerum Poëmata, & plebejas aliquot ac lutulentas Orationes. Sed vel sic quovis tecum pignore contendere ausim, nisi in totidem versus, quot sunt Carminis Jensiani, altero tanto sæpius, quam Jensium jure quodam arguis, exhibiturus tibi sim syllabas, quæ utrum producendæ an corripiendæ sint, nescias. Melius profecto consuleres existimationi Tuæ, si parcius tam magnifica verba, h. e. nugas & deliramenta, garrires. Ego ab istis inanibus quam longissime abesse malo, & idcirco vera profiteri non erubesco, quæ agnoscent etiam plerique Eruditorum, qui Prosodicos Indices sua ex Bibliotheca minime velint exclusos, neque hujusmodi aspernabuntur Poëseos subsidia.

Superest jam, ut hujus tandem jurgii indagemus originem, & de celebri meæ Orationis Loco agamus, quo se irritatum ait, & adactum ad illam Epigrammatum proterviam. Nec enim negare potest à se cœptum Poëticum hoc Bellum, quum constet inter omnes, carmen illud *in Blæsum* vel *Frigidum Oratorem* sparsum in vulgus aliquot mensibus ante, quam

 illi

illi quicquam esset repositum. Sed quid tandem negare non possit, quidve non audeat, qui vel sic contra manifestam rei gestæ fidem & tot Hominum conscientiam scribere tamen inverecunda mente non est veritus pag. 4. *Is* (Me intelligit) *cum variis me Carminibus lacessisset, visum fuit, illi reponere aliquid, & Epigrammate uno aut altero lusi cum Homine. Cum non desisteret, provocavi* &c. Quid? Egon' illum *variis carminibus lacessivi* prior, quibus ille sua *reposuit?* Refellit hoc Ordo & Historia Epigrammatum, prout ab ipso utique collocantur, & enarrantur. Hem, hæc est Fides! Hic est Auctor fide dignus! Immo adeo ille decoxit pudorem omnem, & perdidit penitus frontem, ut se ipse arguat palam falsi, narrando falsissima, in liquidâ veri luce, in re certa & omnibus nota! Nisi quis malit credere, eum *rabie furoris* in præceps datum nescivisse, quid diceret aut scriberet. Nam certe quando resipiscit & ad se redit, tum sane agnoscit, (vide pag. 49. 50.) se priorem, contra istum Orationis meæ Locum, Poëticum strinxisse telum. In eam ergo Orationem conjicit omnem hujus Litigii culpam & causam: quam vere & liquido, vel ex eo pateat, quod, ut illud probet, aut aliquam saltem ejus speciem reperiat, XI. integras implet paginas, eoque facto, quum vocasset me Facetus Homo suum ad *exemplum*, suaque verba laudasset, subjicit tandem, quasi me ultro absolvens, *Idem dixi, quod Tu*, nempe non Verbis, sed Sensu. Et tamen, licet eum nullo tetigerim aut descripserim Verbo, Sensu igitur *idem dixerim, quod ille*, nihilominus *justissimam* dedi causam Crabroni huic famosa in me Epigrammata condendi. Sed consideremus mea jam verba: *Dum itaque Ego Augustissimæ*

stissimæ Mariæ decora, non inanibus Verborum lenociniis, non pictis figurarum coloribus, non compositis fractarum modulationum, gesticulationumve mollium simulachris ornare, sed modesta & luctibus conveniente, styli, vocis, actionisque simplicitate exponere, rebusque ipsis & exemplorum documentis demonstrare contendam. Quis heic non videt, non perspicit, simplicem plane sensum, & Oratoribus usitatum, immo quis tandem putet, quicquam hic latere interiore angulo conditum? Scilicet, quia Eloquentiæ Doctores vulgo insimulantur, quasi qui negligant argumenta & pondera rerum, omnemque Orationis vim & pulchritudinem ponant in superfluo ac immodico dicendi ornatu, declaravi igitur in principio, me longe ab hoc qualicunque vitio afuturum, partim & præcipue, quia tam illustria per se sint Reginæ merita & benefacta, ut inanem ornatum non requirant, sed clarissime pateant omnibus relata simpliciter: partim etiam, quia à vero Luctu abhorrent Ornamenta *inania, picta, composita*, h. e. nimis affectata, ad exemplum Ovidiani illius,

Non est conveniens Luctibus ille color.

Ergo dum me *rebus ipsis & exemplorum documentis demonstraturum Reginæ decora* profiteor, eaque expositurum *styli, vocis, actionisque simplicitate*, quam *luctibus convenientem* arbitrabar, *non* autem *ornaturum* ea contrariis vitiis, *inanibus, pictis, compositis*, specie Virtutis sæpe blandientibus, & quorum contagio dicendi Magistros potissimum invadere vulgo creditur, recte ita, ni valde fallor, & sine ulla injuriæ cujusquam specie sum locutus, immo dixi revera paulo uberius idem, quod Francius ipse dixit concisius, his ver-

bis: *Nolite putare, me falsas ei laudes assignaturum, aut fucum ullum ac lenocinium in ea adhibiturum:* vel quod Muretus in Funere Pii V. *Eo genere Orationis utar, quo ipsum præcipue oblectari solitum novimus, non pigmentis ac fucis oblito, sed severo ac solido.* Hæc ergo quum sint tam certa & clara, ut verbum non amplius requirant, quum per se, etiam me tacente, abunde pateant cuilibet, non desinit tamen φιλαίτιος ille clamare, se hisce verbis à me *notatum*, scilicet, quia indiget prætextu, quo velet famosi Epigrammatis culpam. Sed

Nusquam hodie effugiet, veniam, quocunque vocarit,

& argumenta ipsius usquequaque persequar. Primum est pag. 38. *Aut Aliquem notavit, aut Neminem.* Agnosco posterius, at prius illud ego vero pernego. Addit, *Si Neminem ante oculos habuit, ineptus totus est locus & nullo judicio positus.* Contrarium docui paulo ante. Ille vero in sequentibus quum id probare debuisset, digreditur pag. 39. 40. in ineptum plane & alienum sermonem de *Figuris*, earumque *Usu*, & agnoscit tandem pag. 40. esse Eum non modo *Bonum*, sed & *Malum*, si scil. Figuræ sint *nimiæ & affectatæ*. Hoc autem ipsum est, quod Ego volebam, esse scilicet etiam in *Pictis Figurarum coloribus* aliquid vitii, æque ac in reliquis, *inanibus* nempe *verborum lenociniis*, & *compositis Gesticulationum Modulationumque simulachris.* Quin & ipse pag. 45. bis ab se amolitur illa Vitia, quæ *captaverit, aut amaverit nunquam.* Sed audiamus jam à priori argumento translatum ad hæc vel *Vitia*, vel *Virtutes*, & denuo ratiocinantem: *Contraho argumentum*, ait pag.

pag. 41. *Aut de vitiis Orationum loqueris aut de virtutibus*. De *Vitiis*, dixerim Ego. Nam de *Virtutibus* loqui, & dicere simpliciter, Te nolle iis uti, id vero foret manifeste ineptum. Et tamen nec hoc ita simpliciter dictum quenquam notaret. *Si de Vitiis*, pergit, *nihil agis, dum te malos Scriptores non imitaturum dicis: id enim officii est, & Boni Oratoris*. Seu, ut pag. 40. ait, *perinde hoc est, ac si diceres, Latine, non Barbare, loqui Te velle*. Vide, mi Lector, quam stolida hæc & frivola sit argumentatio, præterquam quod nihil ad rem faciat. Vide quam subito etiam obliviosus evaserit hic Homo, etiam Sui ipsius, quod maximum est mirum, oblitus, quem cæteroqui cogitat dies noctesque, quem somniat, ostentat, loquitur, miratur, laudat denique semper. Quid enim? an, quando ipse Se *falsas laudes non assignaturum Reginæ* promittit, *fucum se nullum aut lenocinium in ea adhibiturum*, non itidem, ac Ego, se *malos*, immo Pessimos, *Scriptores non imitaturum* dicit? annon & Hoc, & multo magis, *Officium est Boni Oratoris*, ut ea non faciat, ut *Falsas laudes* non narret? Quid ergo in Meis est *inepti*? Immo vero an absurdum aut alienum est, ut Orator in procemio præjudicium, seu talem vitii alicujus suspicionem, qua sui ordinis Homines vulgo premuntur, Auditoribus suis studeat eximere? *En cor Zenodoti, en jecur Cratetis*! Ita vero necdum demonstratum est, quod tamen erat τὸ κρινόμενον, Me *Aliquem* omnino *habuisse ante oculos*, non *Neminem*. Ut vere dicam, nusquam reperio ejus propositionis ullum firmamentum documentumve. Totus in eo versatur, ut ostendat, Me *inepte locutum*, seu *de Vitiis*, seu *de Virtutibus sim locutus*: atqui, si *Ineptus est hic*

locus, tunc utique *Neminem habui ante oculos*, ut ipſum paulo ante audivimus affirmantem. Cerno equidem pag. 48. 49. dici, *Verba iſthæc non poſſe me ſpectare, niſi ſim ineptus & nullius cerebri Homo*, ſed *reſpicere alium quempiam*. At nuſquam video ulla id argumenti ſpecie aut ratione probatum, quare *Alium quempiam* omnino reſpiciant, non *Neminem*, niſi quod ille Orator quaſi ex Oraculo id pronunciet *ineptum*, ſed quod refutavimus paulo ante.

Aeque Logicum eſt, quod jam ex Hoc nuſquam probato, ſed temere poſito & aſſumpto, dein concludit: Si *Aliquem*, aut *Alium quempiam*, *notaſti*, *Me notaſti. iſte enim præter Me eſſe poteſt Alius nemo* pag. 48. Et, *is autem Alius Ego ſum*, pag. 44. Nam quo tandem illud argumento infertur? An quia mihi Proximus eſt aut Collega, & in meo Auditorio ſuperior? Neutiquam: nam in diverſa habitamus Civitate, & ita diverſos etiam habemus Auditores. An quia iiſdem ipſe verbis forſan aliquando fuit uſus, & ſic quadam ſuorum verborum repetitione notari videtur? Neque hoc, opinor, dicet, neque verum eſt. Quid ergo aliud comminiſcar? quid habes, Lector, quod mihi ſuggeras? Nihil invenis? nihil excogitare potes? dicam igitur Ego, quod res eſt, & quod ille, præ modeſtia ſcilicet, diſerte affirmare noluit, ſed nobis intelligendum tamen & agnoſcendum dedit. Nempe qui Oratorem notat, notat neceſſario Francium, illum *Perfectum & Conſummatum*, immo Unicum, *Oratorem.* Nec enim *Alius quiſpiam* eſt, præter hunc Heinſiaſtrum, in quo reperiantur, aut conſpiciantur ſuavia illa *Verborum lenocinia*, quæ Valerius Accinctus maligne *Inania* dixit, aut pulchri *Figurarum* colo-

colores, quos ille perperam *Pictos* vocavit, aut denique Decora *Gesticulationum Modulationumque simulachra*, quæ ille omnium pessime *Composita* appellavit. Unus est Heinsiaster, qui Arte valet Oratoriâ, & eo nomine secunda fruitur fama, per ora hominum volitat, invidiam ab aliis patitur, quum Omnes Alii ab eo *Exemplum* capere deberent. Reliqui, Grævius, Gronovius, & quicquid est Oratorum, certe in Belgica, volitant leves sicut umbræ, vel jacent in obscuro, Oratorum nomine indigni. Ne putes me jocari, revera ita sentit ille Parvulus Heinsiaster. Vide hoc ipso in Libello pag. 48. ut Me & Alios Suum unice ad *Exemplum* vocet Lepidus Homo. *Vis exemplum*? ait, *Hanc ipsam Meam Orationem Funebrem vide.* Sed & novi Professorem Clarissimum, cui ipse nihil dissimulans dixit jam dudum, Nullum esse inter Eloquentiæ Professores nominatim recensitos, qui sit Orator: præter Ipsum tamen, τὸν Καλὸν καὶ Νέον Εινσιάδlω, quo nullus unquam fuit *Orator magis catus*. Quin nihil notius, quam ad modum Rhemmii Palæmonis, qui *secum natas & morituras jactabat literas*, sic illum passim interituram secum artem Oratoriam quasi dolere. Hem! qualis ergo ille Artifex periturus Batavis, cum quo omne hoc simul peribit artificium! immo

—— —— quem *postquam Fata tulerunt*,
Ipsa Urbes Pallas, *atque ipse relinquet Apollo.*

Nondum credis Lector? En tibi ex ipso igitur Francio probata, quæ dixi, & ejus *Orationibus*, pag. 254. *Quin hæc ipsa nuperrime, si non in Latinis & Græcis,* (nam facile aliquis *Grammatista*, vel *Alius quispiam præter Francium* illa tam levia doceret) *in hoc*

certe

certe Oratorio studio progrediendi erepta vobis propemodum & intercepta fuit occasio: eandem nunc rursus oblatam (manente scil. eo Amstelædami) *à fronte, quod ajunt, arripite. Nec ME, nec Illam Habebitis Semper. Quare hoc agite, & tanto majore industria in id incumbite studium, quod non facile Alibi invenietis.* Quid videtur? jam credis, jam vides, jam sentis erutam rationem veram, (certe aliam in illis XI. paginis aut toto Libro nullam reperies) quare iste *Alius quispiam* sit omnino Francius, seu quare, quando generatim de Oratore nunc agitur, non Alius intelligi debeat aut possit, quam ille Unicus Orator, quem haud centesimam quis partem laudet, præut ille se meritum censet, ut laudetur. Ego vero (fatebor enim lubens) nunquam putaram Hominem tam ridicule stultum, ut bona fide hisce argumentis se mea in Oratione asseveraret notatum, & Generalibus his Locutionibus, quibus Oratorem quempiam respici contendit, SE necessario designari continuo clamaret, immo ut à Me nimia *Verborum Lenocinia* & *Figurarum colores* sibi tribui existimaret. Habet utique Me pro Auctore Carminis *in P. Lombardum.* Atqui istic *Barbara & Lombardica Latinitas, Ortvini Gratii Eloquentia, fœtidæ* Verborum *Sordes* homini objiciuntur. Quomodo hæc cohærent cum *Verborum Lenociniis*, quæ utique ab illa *Barbarie* & *Gratiana Eloquentia* absunt quam longissime, & in contraria currunt extrema? Quin audi, Pulchelle Heinsiaster, si jurejurando Me tibi purgare possim, jurare vel Jovem Lapidem velim, nunquam me tuas Orationes, tuum Latinæ Linguæ stylum accusasse ullius verborum lenocinii, aut ullius superflui vel immodi-

modici ſplendoris & ornatus, qui vel in Figuris & Coloribus, vel in Verbis & Locutionibus conſiſtat. Nunquam id cogitavi, nunquam cenſui, nunquam dixi. Semper è contrario exiſtimavi, Orationes tuas, quod ad phraſin, eſſe immane quantum impuras & barbaras, quod ad figuras ac pondera rerum, prorſus jejunas, ſteriles, & humiles, quod ad ſeriem & ordinem argumentorum, plane inconditas & indigeſtas. Semper miratus ſum, Te, qui Poëticum tibi ſoli vindicas ſpiritum, tamen in Orationibus tam humi repere, vix unquam exſurgere, aut quicquam ſani coloris invenire & edere: Te, qui Linguam & Eloquentiam profiteris Latinam, ſtylum tamen Oratorium tot Barbariſmis & Soloeciſmis, tam impuro ſermone, tam minime Latinis locutionibus, paſſim fœdare. Hæc vidi, hæc ſenſi, hæc ultimis etiam annis palam dixi. Et tu tamen eo ſolo, quod *inanibus verborum lenociniis, pictis figurarum coloribus* non uſurum me dixi, Te continuo & neceſſario, iſtis quoque rebus quaſi *Tibi* uni *propriis*, deſignari jactas? O valide ineptum Hominem, ó ſtolide Glorioſum!

Credideram Te ex ſolis *Geſticulationum Modulationumque ſimulachris* ducturum argumenta, quæ licet æque fuiſſent invalida, & neutiquam probatura, Te, aut quenquam alium, tam generali locutione notatum, tamen ſpeciem habuiſſent aliquam, quoniam hanc Artem non tantum tibi item ſoli ſtulte arrogas, & *propriam* gloriaris, ſed & præ cæteris revera exerces, colis, commendas maxime, quaſi in ea totius Græciæ & Latii ſalus ſit ſita. Eam qui non laudat effuſe, ille tibi Barbaras, an Batavas? habet aures, & quod de Romanis dicebat Nero, *neſcit audire:* at qui

aſpernatur, aut aliis Artibus poſtponit, ille vero *Hoſtis* eſt *Eloquentiæ, peſtis & pernicies Academiarum.* Qua in re Ego ſane abs Te in alia omnia ire me fateor, Teque ipſum potius cenſeo peſtem eſſe ac perniciem Literarum, corruptorem Eloquentiæ, idoneum, qui quicquid ſolidi, ſeveri, ſani in diſciplinis Humanioribus ſupereſt, prorſus deleas, abigas, & extermines. Non equidem aſpernor decoram Actionem Recitationemque, neque vero illa compoſita geſticulationum modulationumque ſimulachra plane jam rejicio, vel hoc argumento, quod inanibus iſtis aurium inſidiis tam impura, tam lutulenta, tam putida Oratio, qualis eſt Tua, placere quibuſdam auditoribus potuit, ſed haud aliter, quam Mimi & Hiſtriones placent, etiam quum non intelliguntur, vel quum ineptas agunt fabulas. Cæterum nequaquam Ego hac Sola dote, neque hac Potiſſima, ſed omnium Poſtremà cenſeri volo Oratorem. Sequor in eo conſtantem Rhetorices Ordinem, atque adeo Primo mihi loco eſt, res pulchras, & argumento congruas *invenire*; Deinde vero, eas oportune digerere, *diſponere*, & Orationi illigare ita, ut non emineant, non exſtent, non quæſitæ, non per vim immiſſæ, ſed ultro ſe præbuiſſe, videantur. Tertium mihi eſt, pure, eleganter, magnifice eas *eloqui*, ut appareat in Sermone ſimul Majeſtas quædam, & vis ac pulchritudo naturalis. Ultimum denique accedat, velim, *Actionis* ornamentum, quod in minima poſuerim laude, quia ut ipſe ais pag. 41. *corpore fit & quidem ſolo, inque eo nihil loci aut ingenium aut judicium habet, aut ulla mentis facultas.* At vero hæ demum ſunt illæ dotes, quibus præcipuum Homini conciliatur decus, & quæ ad prio-

priores illas Rhetoricæ partes vel maxime requiruntur. Et amabo te, quem tandem pluris æstimandum censes Tu ipse, Fabularum Terentianarum Auctorem, an Actorem? Vel, Hominem, qui sapienter omni ex parte, & eleganter componere sciat Epistolam, an, qui nitide eam & pulchre describere possit? Nam quod Actio & Recitatio Orationi, idem pene Scriptura præstat Epistolæ, nempe, ut eorum, quæ dicuntur, vel scribuntur, sensus citius & promptius penetrent animos audientium vel legentium. Atque idcirco Veteres, sicuti per Librarios & Amanuenses sua curabant *describi*, sic sæpe ea per Præconem apud Populum (Sueton Aug. 94.) per Lectorem in Auditoriis (Claud. 41.) Imperatores etiam in Senatu per Quæstorem (Tit. 6.) jubebant *recitari*. Displicebit hæc forsan tibi Comparatio, quia Scriptura non æque, fateor, afficit animos, atque Actio. En aliam ergo. Sumus uterque, Franci, etiamdum cælibes, & forte necdum omnem abjecimus Matrimonii spem. Quid igitur in Hoc genere malis, Virginem bene comptam, lepide ornatam, splendide vestitam, sed simul corpore deformem, membris inæqualem, ingenii & judicii expertem: an in qua omnia appareant contraria? Tu quam præferas, videris. Ego certe tibi absque invidia & lubens priorem concesserim, eamque malim, in qua secus se omnia habeant, nec tamen respuerem, si adesset, immo adesse cuperem, ornatum, nitorem, & elegantiam. Deinde vero neutiquam existimo, tantum difficultatis in illa commoda Recitatione situm, quantum Tu nobis persuasum velis: Veluti, quum ais pag. 46. *Id quam factu difficile sit, & quam paucis mortalibus datum, Nemo ME rectius novit, qui per om-*

nem vitam vix unum vidi aut alterum, cui iſta corporis Eloquentia ſine ullo vitiorum confinio contigiſſet. Magna eſt enimvero illa dos, quæ ſine ullo ſit confinio vitiorum, quamque ideo vix ulla in re Hominibus contingere videas.

Non cuivis, Franci, *contingit adire Corinthum*,

Satis eſt, Tibi uni eſſe datum, *Tibi* hoc eſſe *proprium* ut *Perfectus* ſis *Poëta*, & *Perfectus Orator*, ex quo Ego & Alii *exemplum* capere debeant. Cæterum de commoda illa & decora Actione ita tamen exiſtimo, totam ejus rei Laudem trahere originem potiſſimum ex Confidentia quadam, ſive illa naturali arrogantiæ & impudentiæ dono ultro adſit, ſive exercitiis aſſiduis & memoriæ fiduciâ ſit ſubnixa & comparata. Haud ampla profecto veræ laudis materia! Atque ideo neminem eſſe arbitror, qui judicio & ingenio ita valeat, ut pulchram & elegantem poſſit componere orationem, quin idem decora etiam gravitate, congrua actione, emphatica ſatis pronunciatione, recitare eam queat, modo firma habeat latera, & vocem non fuſcam, non *blæſam*, quam mihi neſcio qua ratione affingat Heinſiaſter, ſed claram & articulati ſoni, totamque inſuper Orationem penitus velit memoriæ mandare, & ita exercitiis ac meditationibus ipſam tandem formare & firmare Actionem. Hoc modo ſi quis rem inſtituat, & vel mediocris dein accedat uſus, ſatis commodum ille, gravem, acrem, decorum, facile aget Oratorem. Sed ais, quare ergo Tu non ita te paras, non agis has partes tam bellule, tam ſcitule, tam mimice, ac Ego? Nimirum eadem ratione, qua non incedo per publicum tam com-

comptulus, tam pulchellus, quam Tu. Nec tamen autumo, *formam Viros* plane *neglectam decere*, nec repudio nitorem: quin ſi verbo & voto res confieri poſſit, velim ſane domi & foris æque ſemper nitidus eſſem: aſt temporis multum huic rei reliquiſve inanibus impendere nolim. Deinde vero, longiores plerique hoc ſeculo componimus Orationes, idque in Illuſtribus & Extraordinariis Caſibus, ut erat Funus Reginæ, jam pene neceſſarium, niſi quis malit nihil rerum dicere, & inanibus atque aſſiduis Exclamationibus breviter orationem abſolvere, quod tibi in more eſt poſitum. Longiores autem illas memoriâ continere, quâ ſingula nobis reddantur verba, difficilius eſt, & plus requirit temporis, quam operæ pretium cenſent plerique mecum Eruditi. Certe Ego nec vidi, nec novi, ullos ætate noſtrâ Eloquentiæ Doctores, memoriter orare ſolitos. Quid plura, pulchelle Franci? Abunde liquet, plane Nos in diverſa abire. Tu unice curas Actionem, Compoſitionem negligis: Ego hanc longe præfero, nec tamen ſperno prorſus illam, ſed neutiquam multa adeo temporis impenſâ mihi volo comparatam. Tu id agis, ut placeas unius Horæ curriculo, & unius Auditorii auribus atque oculis potiſſimum, & ita denique pueris æque ac adultis, Feminis non minus quam Viris, Indoctis magis, quam doctis: Mihi longe jucundius accidit, ſatisfacere multo ampliore temporis ſpatio, & longe pluribus, quam qui me audire potuerunt, Civibus & Exteris, tum vero menti & judicio Sapientium ac Peritorum multo magis, quam auribus & oculis indoctorum. Tu ſectaris inania, ſi ſeparatim conſiderentur, & in quibus, ut ipſe ais, *nihil loci aut ingenium aut judicium*

cium habet, aut ulla mentis facultas: Ego ſolida, & quæ unice ab ingenio, judicio, eruditione proficiſcuntur. Et in hac mea ſententia ſunt itidem, & fuerunt, quantum pene fuit vere Eruditorum, non quod illi rejecerint omnem Actionis curam, ſed quod incredibile quantum pluris fecerint commodam & elegantem Scriptionem. Evolve, ſi videtur, qui Eloquentiam ſuis Orationibus commendarunt, Majoragium, Palearium, Muretum, Æmilium, Heinſium; evolve immo ipſum, quem memoras, Cunæum, Hujus Academiæ ſingulare quondam Ornamentum, Virum Diſertiſſimum, non tamen ex Theatro, ſed ex Muſeo, non Actionis dotibus, ſed Eruditionis: quin videſis ipſam illam ejus Orationem, quam *Exercitationibus Oratoriis* præmiſit. Si feceris, comperies nullum in ea verbum fieri de Actione, Pronunciatione, Geſticulatione, ſed commendari unice ſtudia Doctrinæ, aſſiduam Lectionem, interiores illas Literas, quas Tu neſcis, & ideo rides, Humaniorum licet Literarum Profeſſor. Vin' noſtræ memoriæ exempla? ſic Tui prævivere Præceptores, ſic Mei. Ita hanc veræ & genuinæ Eloquentiæ facultatem, varia Eruditione inſtructam, non Ego tantum & Cl. Gronovius, Collega meus, ſed & ejus Pater, Joh. Frid. Gronovius, Vir Summus, & quos hæc deinceps habuit Academia Profeſſores, prætulerunt. Eam colit, tuà tibi relicta, qui principatum in Literis hodie obtinet, Joh. Georgius Grævius, *Latina Siren* ob elegantiam & ſuavitatem ſtyli jam dudum appellatus. Sic pro concione dicentes audivi Viros Ampliſſimos, Theoph. Hogerſium, & Gisb. Cuperum, qui ex Gronovii Patris provenerunt diſciplina, & ejus cathedram Daventriæ tenuerunt. Tu Unus, Pulchelle Heinſiaſter, ſeor-

seorsum sentis, & magnis clamoribus contra omnes alios rem geris. Unam ubique & semper suades, commendas, præcipis, Actionem, ut in qua omnia sint sita: Eruditionis & Styli curam quasi inutilem prætermittis, vel parcissime memoras. Recognosce, quæ dixisti, *quum Oratio pro Dejotaro* tuo ductu vel magisterio *pronunciaretur*, pag. 227. 228. *De meo consilio*, &, *quod secutus sum hactenus, instituto nihil nunc dicam. Dixi enim jam SAEPIUS. Id brevissime Repetam. Hanc UNICAM esse Viam, qua itur ad Eloquentiam, cujus pars est Potissima teste Cicerone, quæ appellatur Rhetoribus Actio.* Ciceronem quidem laudas Testem, respiciens *lib.* III. *de Oratore*, ubi ex persona L. Crassi dicitur, *Actionem in dicendo dominari.* Sed idem jam antea cap. 35. *Si quærimus, quid Unum excellat ex Omnibus, Docto Oratori palmam esse dandam* censuerat. At Tibi *UNICA, qua ad Eloquentiam itur, via* est Pronunciatio. Sed & Veterum longe alia erat ratio in Orationibus dicendis, alia est Nostra. Illi Lingua sibi Vernacula, in Foro, adplebem plerumque, quæ exterioribus maxime capitur, verba faciebant: Nos Sermone peregrino, ad solos Eruditos, in Auditoriis. Illi defungebantur recitatione, & auribus tantum percipiebatur eorum Dictio: Nos etiam Legentium oculis exponimur. Illi sæpissime orabant quamplurimis adducti occasionibus, & ideo à puero pene hanc artem meditabantur, multo sibi usui futuram: Nos rarissime, & extra ordinem, & tantum in Academiis. Illi de rebus maximi momenti & controversis in Rep. disserebant, idque agebant potissimum, ut Auditores ad hoc vel illud suffragio suo confestim decernendum sciscendumve impellerent.

Nos

Nos tanquam Rhetores in Scholis de re vulgari & quotidiana, vel dudum præterita atque omnibus nota, tantum audimur. Nec ipsi in hujusmodi argumento nostris Orationibus magnopere afficimur, nec alios moveri nostra multum interest. At secus se res habuit apud Veteres, atque ideo nihil mirum, Eos Actioni tribuisse aliquanto plus, quam horum temporum Eruditos. Et tamen vel sic Crassus apud Ciceronem ait d. l. *Genus hoc totum* (actionis) *Oratores, qui sunt Veritatis ipsius Actores, reliquisse, Imitatores autem Veritatis Histriones occupavisse.* Quin dic sodes, quæ causa sit, quod jam olim fama & gloria longe supra Hortensium fuerit Cicero, quod solus in foro regnaverit, ut solus ad Nostram pervenit ætatem? Haud alia, opinor, quam quia, licet Actione Hortensius superarit omnes sui temporis, at Compositione Cicero longe & alios superavit & Hortensium, cujus *scripta* ideo *intra famam fuisse* dicuntur à Quinctiliano. Ciceronis vestigia Nos, quantum potest, legere malumus. Tibi si Hortensium potius æmulari libeat, non invidebimus. Id vero deprecamur, ò Magne jam, nec semper Parvule, Heinsiaster, ne, quia Actionem non putamus esse *Unicam Viam, qua itur ad Eloquentiam*, ne idcirco Nos, me pariter & Clariss. Gronovium, *vomicas & carcinomata literarum* (pag. 46.) vocites; neu ideo Nos *omnem Eloquentiam derisui habere, Eloquentiam non intelligere, Oratores omnes putare Histriones* (pag. 48.) vocifereris. Nimis atra profecto bilis tuum tibi jecur urit, quando ita immanem in modum iræ indulges, & sævis tantopere. Per nos tamen licet, succenseas & indigneris, sed modice, (nam quis tam justam ausit prorsus prohibere iram?) quod rem *Tibi propriam*

non

non immenso æstimamus pretio; quod vetamus tuis oculorum insidiis cedere solida Sapientiæ præcepta, ornamentisve exterioribus interiorem & naturalem corporis pulchritudinem; quod nolumus denique abs Te deleri ingenia, & in inania effundi. Hæc Te male habent, agitant, & rapiunt transversum, quia, si recipiantur ab aliis, ilicet, actum est de tua Gloriola. Sed quid? Si tamen ita intemperanter insanire malis, & impura debacchari rabie perges, vide, ne quid & nobis inclementius excidat, neve Te potius dicamus & probemus, Bone Vir, Communem Juvenum ad magna surgentium Corruptelam, ut qui penitus abstergas, quicquid sani & solidi in studiis Humanitatis superest, qui Historias & Antiquitates ignores aut corrumpas, qui Linguam Eruditorum, ejus licet Professor, inscitia tua contamines. Neque id sane mirum, quum observationes ad ejus puritatem pertinentes, *Grammaticales* Tu quoque appelles *cavillationes*, &, qui de iis agunt, *Grammatistas*. Scilicet hæc infra Tuam sunt curam, qui tamen locum & cathedram obtines Gerh. Joh. Vossii, Viri multiplici eruditione instructissimi, sed simul Grammaticorum Principis. Non istius te Magniloquentiæ pudet? Non metuis, ne multo potiori jure, & consensu omnium, quantum est Hominum Elegantiorum, reddantur tibi tua hæc, *Dedecus es, & opprobrium Professorii ordinis*, (pag. 59.) dum non tantum verbis elevas, quæ non intelligis, & quæ tamen tui sunt muneris propria, sed & flagitiosa, ac vel pueris fœda, committis hoc ipso in Libello vitia adversus primum Professionis tuæ Systema, *prima* vere *Literarum nostrarum* & Eloquentiæ Latinæ *Fundamenta*, h. e. ipsam Linguæ Latinæ

Grammaticam? Nam qua tandem Auctoritate, qua immo Anologia, scripsisti pag. 14. *HISCITURUM*? Nescis ergo, nescis, quod Discipuli Tui, & quiqui ex Trivialibus emerserunt, ignorare non debebant, Verba, quæ dicuntur *Inchoativa*, vel nulla, vel Primitivorum suorum, habere Præterita & Supina. Consideràsis *Quiesco*, *Glisco*, *Invalesco*, *Convalesco*, *Consenesco*, *Labasco*, *Concupisco*, *Ingemisco*, *Ingravesco*, & innumera alia. Quis unquam legit vel audivit ab hisce, *Quiesciturum*, *Glisciturum*, *Invalesciturum esse* &c. Verba autem hæc sunt Neutralia, & habent significationem potissimum Inchoativam: atque adeo ejus generis extra controversiam est etiam *Hisco*, quod contractum ex *Hiasco* omnium Grammaticorum consensu, significat proprie, incipio hiare, ut faciunt, qui loqui volunt. Diversa ab hisce sunt alia Verba, itidem in SCO quidem exeuntia, sed significationis non Inchoativæ neque Neutralis, sed Primitivæ seu Simplicis, & Activæ; quæque insuper in Lingua Latina neque Verbum aliud, neque Nomen, ut illa, habent, unde deriventur, qualia sunt *Posco*, *Nosco*, *Disco*, *Pasco*, &c. Sed tamen neque ab hisce reperitur usquam talis Futuri forma, nisi *Ignosciturus* apud antiquissimum illum Pisonem, ante constitutam apud Romanos Grammaticam, & certam linguæ Latinæ datam formulam, sed pro quo Cicero, & ipse, etiam Vetustissimus Auctor, Cato Censorius, atque omnes Alii, habent *ignoturus*: Tum apud Appulejum deterioris jam Latinitatis Scriptorem *Disciturus*. Sed nihil hæc, ut dixi, ad Inchoativa pertinent, de quibus Vide vulgatissimam Vossii Grammaticam *in usum Scholarum*, & erubesce, si potes, aut aliquid frontis habes residuum. Adde

Bo-

Bonum Priſcianum lib. x. Diomeden lib. I. Voſſium de Analogia lib. III. cap. 43. Th. Bangiũ pag. 565. &c.

Ejuſdem porro eſt ſtribliginis, *ADIVVASSES* pag. 36. cujus fœditatem & illi, qui nondum ære lavantur, facile animadvertent. Quid dicam de τῷ PERCELLUIT pag. 10. quod imperitiſſime formatum à *Percello*? Decepit videlicet Te, & vere *omnem tibi mentem penitus eripuit*, quod ab *Excello* dicitur *Excellui*: ſed & inde eſt *Excelſus*. At a *Percello* conſtantiſſime maluerunt Romani *Perculi*, *Perculſus*. Nec minus turpe eſt, neque minoris imperitiæ, quod pag. 39. reperio, *ab iiſdem pictoribus utroque vocabulo MVTVATO*. Nam quis eſt adeo ignarus linguæ Latinæ, quin exploratiſſimum habeat, *Mutuari*, & *Mutuatus*, non paſſivæ, ſed Activæ Significationis uſum obtinere? Vis exempla? Non vocabo Te, ridiculo tuæ arrogantiæ more, ad Mea, ſed audi Ciceronem in *Tuſculanis*: *à Viris Virtus nomen eſt mutuata*. Valer. Max. VI. 2. ext. I. Mulier *potius præſidium à libertate, quam ab innocentia mutuata*, Sueton, Aug. 39. *Pecunias levioribus uſuris mutuati*. Vide inſuper Rob. Stephanum, Nizolium, alioſque. Quantæ porro eſt inſcitiæ, quantæ Barbariei illud, quod legendum nobis dediſti pag. 4. *Et ſane CVM Philippo bellum gerere malunt, quam CVM Alexandro?* Carpentarius, Peraltus tuus, aliique Galli, Linguam Latinam incuſant, ſuæque longe poſthabitam volunt, vel maxime hoc nomine, quod ambigua ſit & incertos habeat ſenſus. Nullo illi quidem jure: nec enim Linguæ hæc eſt culpa, ſed Hominum, qui eâ utuntur, nec uti norunt, eamque idiotiſmis, & phraſibus vernaculo ſermoni

propriis fœdant vel adulterant, ut Tu facis, Barbare Franci, Barbare Latinæ Linguæ Professor. Nam quis hæc verba, ut seorsum ponuntur, & peculiarem conficiunt periodum, aliter acciperet, quam quod malint illi Homines bellum gerere *Contra* Philippum, &c. qui est sensus hujus locutionis apud eos, qui Latine scripserunt, & qui Latine sciunt? Tu tamen aliter hæc vis intelligi, ut liquet ex proximis. Nempe quod malint illi bellum gerere, *ut fecit Philippus*, fraudibus scilicet & dolis, quam aperto Marte, *ut solebat Alexander*. Credis forsan, Te jam defunctum, ambiguitate hac tibi commonstrata. Sed profecto levius hoc duco inscitiæ Tuæ vitium, quam ut illud Tibi exprobrandum censeam. Aliud est, quod Te volo. Etenim Barbarissimum dico, & ab usu linguæ Latinæ alienissimum Tuum illum Tuorum Verborum sensum. Ferri possit utcunque, si quis diceret, ex. gr. *Romani cum Masinissa bellum gesserunt adversus Carthaginienses.* Sensus enim in his est perspicuus, & accipiendum foret illud *Romani cum Masinissa*, quasi diceretur, *Romani & Masinissa*: qua ratione sæpe etiam Nominativus Singularis construitur in hujusmodi locutione cum verbo plurali, ut fit in illo Virgilii notissimo, *Remo CVM Fratre QuirinVS jura dabVNT*. At longe aliud est ita simpliciter & absolute dicere, *Masinissa bellum gessit cum Romanis*, *Sulla bellum gessit cum Optimatibus*, h. e. ut Optimates in suis habuerit castris, & belli adjutores. Ego nunquam ita quenquam locutum credo, quippe quum hæc phrasis innumeris in locis obvia Hostem, non Socium, denotare soleat. Tu, si ejus mihi locutionis exempla adferas, rem præstiteris magnam. Sed ne-

neque sic probaveris Tuam illam plane barbaram istius phraseos sententiam. Nam vixerunt illi eodem tempore, ejusdemque belli fuerunt revera participes. At vero ut quis dicatur *Bellum gerere cum Homine* remotissimæ ætatis, h. e. eo modo & more, quo ille olim fuit solitus, id iterum à Latinitate penitus abhorrere, & Belgicum potius quam Latinum, pronuncio. Tu si ullo id ex veteribus documento Latinum declaraveris, caussa cadam, & tibi cedens manum dabo. Vin' scire, ut illi voculâ *Cum* non modo in hâc phrasi, sed & in similibus, utantur, adesdum, & disce, quod docere debebas. Tale igitur est, *Exercere Cum aliquo jurgia & simultates*, Sall. Catil. 9. *Legirupionem Cum Diis facere*, Plaut. Rud. III. 4. 4. *Coacti sunt Cum iis pugnare ad quos transierant*. Nepos Dat. 6. Etc. Nam satis est: & confero me ad aliud turpissimum itidem tuæ Barbariei exemplum, quo jam in Syntaxin misere incurris, quando pag. 47. scribis, *dum Vires SUPPETAT ille* (Deus) *& valetudinem prosperam*. Ignoras ergo etiam hoc, *Suppetere* esse eorum, quæ *Neutra* dicuntur, nec habere significationem Activam, *Suppeditandi* aut *Largiendi*, sed tantummodo Neutralem, *Auxiliandi* primum, unde & *suppetiæ* auxilium notant, dein qualiscunque rei, quæ nobis *adest*, seu cujus *est* nobis *copia*. Sall. Catil. 16. *Si causa peccandi in præsens minus suppetebat*. Suet. Cæs. 42. *Ut exhaustæ Urbi frequentia suppeteret*. Sic & Alii. Addo tamen etiam Livium XL. 56. ut scias, quo modo loqui debuisses: *si vita*, ait ille, *longior suppetisset*. Quid? quod & Origo vocabuli, & significationis Analogia hanc Constructionem unice postulent? Sed talia tu profecto haud magis nosti, quam Scytha, vel Arabs quispiam, immo tan-

quam *Grammaticalia*, æque ac Conjugationum rationem, rejicis haud dubie & fastidis. Verum ita evenit, ut proinde Latinam venustatem neque intelligas, neque aliis interpretari recte queas. Et certe, quam peritus sis Interpres, satis declaras, quando pag. 44. *Gesticulationes* MOLLES ex Mea Oratione ita exponis? *Quis Gestus Oratorios Gesticulationes appellavit unquam? Gesticulationes Mimorum sunt & Comœdorum, Molles vero Gesticulationes (ita enim loquitur, ne quid Criminis & invidiæ prætermittat) sunt Cinædorum & Hominum Mollium.* Refutabit utrumque Suetonius, Auctor Vulgatissimus, quem istic sum secutus. Ita enim ille in Tiber. cap. 68. *Incedebat plerumque tacitus, nullo aut rarissimo etiam cum proximis sermone, eoque tardissimo, non sine Molli quadam digitorum Gesticulatione.* An Tiberius ergo, Homo taciturnus & morosus, in vita quotidiana *Mimum* egit? immo an *Cinædum* fuisse Suetonius ea locutione significat? Quid? Etiam Ovidii *Tui*, ut ais, celeberrimum ignoras versiculum, *Si vox est canta, si mollia brachia salta?* Quid enim *mollia* hic brachia, nisi quæ facile in varios moventur gestus? Quid contra hæc habes? Quid? An vero agnoscis jam tandem, ô Bone, ineptum te, rudem, & Barbarum Latinæ Linguæ Professorem? Si nondum, pluribus tibi deinceps exemplis Barbariem Tuam ex Orationibus tuis demonstrabo.

Nunc ad Orationis meæ redibo locum, & disputationem illam tuo concludam argumento, *Aut de Virtutibus Orationum sum locutus, aut de Vitiis. Si de Virtutibus*, tum sane, si quicquam mihi apud Te est fidei, id mihi credas velim, me neutiquam Te designasse. Egone enim, si Te notare vellem, describerem

Te

Te à Virtutibus potissimum Oratoriis, quas nunquam in Te deprehendi; & quidem Generatim, quasi eæ Tibi meâ sententia essent *Propriæ*, Unico scilicet Oratori? Longissime, ita vivam, ab ea absum opinione. Sed & haberet id utique non Ignominiæ, non Notæ, sed Honoris quandam speciem. Sin *de Vitiis* egi, tum vero *dixi idem quod Tu*, & removi a me, plerorumque Oratorum exemplo, suspicionem Vitiorum, quæ Eloquentiæ Professoribus potissimum adscribuntur, ut supra ostendi. Præterea ejus illa sunt generis, nimia certe *verborum lenocinia*, & *picti figurarum colores*, seu *Vitia* sint, seu *Virtutes*, ut abs Te alienissima semper censuerim, & optima fide etiam nunc censere me profitear. Neque sic igitur, atque adeo nullo prorsus modo, istis Te verbis mea in Oratione taxavi.

Quod quum clarissime jam demonstratum sit, certissimum ergo, non Me, sed Francium, hujus jurgii esse Auctorem. Ille in me dudum iram & odium conceperat gravissimum, quod de Me ex Frisia vocando ante hos quatuor annos Amstelædami facta erat quædam mentio, quam ille, licet me insciente factam, *Supplantationem* vocat. Aucta est hæc Ira majorem in modum, quod Meam illi Orationē Inauguralem non misi, quum paulo ante quædam suorum discipulorum Exercitia mihi dedisset. Accessit denique Invidia & perversum Gloriolæ studium, quum pariter & eodem tempore Fata ac Virtutes Augustissimæ Reginæ celebravissemus. Ergo nulla re lacessitus aut irritatus, sed solo agitatus odio & invidia, condidit in Meam Reginæ Laudationem acerbum illud & virulentum Epigramma *in Frigidum Oratorem*, quod unicum hujus Jurgii est initium, me quiescente & ignaro, nec opinante, nec suspicante quicquam.

quam. Nam vere dico, sicuti nullius mihi mali eram conscius, sic & nihil à Francio exspectabam, & ideo aliquot demum mensibus, postquam vulgatum jam erat, de illo Epigrammate rescivi. Non possum autem satis mirari Hominis stultitiam dicam, an impudentiam incredibilem, quod, quando suis Carminibus me vocat *Frigidum* vel *Blæsum Oratorem*, *Languidum* & *Horridum*, *Lignum* aut *Lapidem*, *Pessimum Oratorem*, & *Pessimum sui seculi Poetam*, *Caput insulsum* &c. Te tamen, Lector, rogat, pag. 50. *Quid in his verbis est, quod injuriam quis aut convicium appellare possit*? & pag. 55. *Quid scommatis in eo, aut amaritudinis?* Scilicet si spectes impurum illud os Francii, Rabiosamque ejus linguam, non maledicta hæc sunt, non scommata, sed blanditiæ, sed facetiæ, sed urbani sales. Etiam quæ tota hac Epistola furibundus in me eructavit sesquipedalia plane, & scurrilia vere convicia, non convicia, non contumelias dicet, opinor, sed jocos & *proprios sibi* lepores. Et sane, etiam me arbitro, contumeliæ non sunt contumeliæ, si ab Homine iræ, odii, furoris, tam manifesto, in alium generatim sine ullis rerum documentis evomantur. Sic in triviis agunt Pueri, sic Bacchæ bacchantes. Prout in buccam venit, Optimos illi Pessimos, pulcherrima illi vocant Fœdissima, sine argumento, sine ratione. Haud aliter rem gerit iste & Mente & Lingua Barbarus. Quapropter ne mireris, Lector, si cum impuro Homine paribus maledictis certare nolim, quippe quum ex eo certamine, si maxime superior discederem, necessario tamen abirem impuratus & ipse. Neque vero ad animum mihi pertinent, aut unius æstimantur assis, innumera illius Convicia,

vicia,

vicia, ut quæ, si spernam, non dico evilescent, sed in Auctorem recident, eumqne sua obruent fœditate. Mihi satis habeo, Te videre & cognoscere, Illum esse jurgii hujus Auctorem; Illum in me nihil tale exspectantem, meamque Orationem, effudisse maledicum Carmen: Illum in meam Namurcensis Victoriæ Elegiam mox iterum aliud æque acerbum composuisse Epigramma: Ab illo cœptum Bellum hoc Poëticum: Ab illius Urbanitate ortum etiam præclarum illud *Scurræ* vocabulum; denique illum esse, qui in hoc ipso libello immania non in me tantum, sed & in Cl. Gronovium, jactet probra: Me, si quid & mihi durius usquam excidit, non læsisse priorem, sed respondisse Tu, Lector, æquo animo arbitrare, & Vale.

F I N I S.



116